

fic quoque hoc loco videmus; dum R. Pater (ne *Spatium Vacuum* concedat) fingit *Spatium Aurâ* refertum esse, nihilominus tamen omnia penetrare. Quia verò *Aura* nihil aliud quam rarissimus aër, aër autem corporeum quid est (sicut per totum ferè *lib. 3.* tam varia experimenta demonstrant, ipsaque ratio dicitur, nisi corporeum quid esset, non posset replere *Vacuum*) ideoque impossibile est, quod *aura*, tanquam corporeum quid, possit penetrare corpora, sed *Expansum* sive *Spatium* ipsum sit, quod penetrat omnia.

Deinde sequeretur, si *Expansum* aurâ refertum esset, quod aliud sit *Expansum* ipsum, aliud *Aura*: & quia sunt diversa, ideoque unum ab altero, corporeum scilicet ab incorporeo posse separari, & per consequens *Spatium* reddi vacuum, fictam verò illam (*per immensum*) auram, omnino inutilem fore, unde nec esse.

Respondent quidem Aristotelici: *Si Spatium aurâ non repletum esset, esset Spatium Vacuum; cum autem illud non concedendum, ergo aliquid excogitandum quò magis autoritas Aristotelis conservetur.*

Verum enim verò, *Vacuum Spatium* in rerum naturâ dari, per *lib. 2. & 3.* ut & passim fatis: de aurâ verò æthereâ & cui bono *per immensum spatium* dispersa sit, nihil constat. Si quis autem *Vacuum* pro omnino prorsus Nihilo in Aristotelis sententia sumtum (ita ut non sit ex duobus illis quæ sunt) intelligere vellet; diximus citato *lib. 2. cap. 7.* non verè ita posse intelligi, quia fieret tertium aliquid, quod tertium tamen non esse potest. Verum itaque manet quod *Spatium* detur *Vacuum*, *Vacuum* verò sine *Spatio*, nec dici nec esse posse.

N. eodem X. pag. 355. COSM. In hoc itaque ingenti æthereâ auræ *Expansum*, *Mundi Conditor* innumerabilium hanc globorum congeriem, ita ad globi terreni situm constituit, ut omnes ex ortu in occasum motus suos auspicerentur & circa terram continuarent. Cùm verò

æthereum illud *expansum*, nullâ certa figura constet, sed vago & incerto fluxu mundum permeet; *supremus Architectus* globos in eo ab origine conditos, eâ harmonia, symmetria ordine & proportionatione ad invicem disposuit, ut nullus alteri impedimento foret, aut cursibus mutuis se impetrent. Et quoniam singuli quoque, præter motum diurnum, motus quoque proprios in suis circulis peragunt; necessarium fuit ut unus altero altiore, aut in eodem diurni circuli ambitu, remotiore sedem obtineret, ut sic medii veluti vicarii Soles quidam singulos sibi subditos globos lucis indigos, suo in circuitu luce debitâ perfunderent; viciniores verò ad invicem Solaris naturæ Globos, tali distantia collocavit, ut munerari quidem suo satisfacerent, nec mutuos tamen jurisdictionis terminos confunderent.

Nullum Corpus, Mundanum alteri est impedimento.

Stellarum Motus varius.

Soles, sibi subditos Globos lucis indigos, debita luce perfundunt. Astra inter sese mutuos Jurisdictionis terminos non confundunt.

ANNOTATIO.

Hæc quidem omnia rationi conveniunt; quod autem *Expansum* illud, aurâ aliquâ æthereâ refertum, Terrenumque corpus in medio horum innumerabilium globorum constitutum sit, ita ut omnes circa illud tanquam centrum ex ortu in occasum, motum diurnum, perficiant, nullis suffultum est fundamentis; quod etiam *Theodidactus* ipse, verbis subsequenter confitetur.

N. XI. pag. 356. THEOD. CAPIO quidem hæc, hoc autem non capio, quænam potentia tantam conglobatorum Systematum congeriem, tam inconceptibili celeritate circumagat? COSM. Singuli globi quorum non est numerus, singulas sibi Intelligentias gubernatrices habent, quarum officium est unumquemque juxta situm in hujus amplissimo ætherei mundi pelago à natura designatum dirigere, singulos in appropriatis circulis circa terrenum globum devolvere, unde fieri non potest, ut à præscripta lege ne hilum aberrent vel distantias inter se permutent.

Theodidactus non potest capere, quis tot Systemata Mundana, 24 horis circumagat?

Dicitur per Intelligentias Mundana corpora circumduci.

ANNOTATIO.

De Intelligentiis motricibus dictum est *lib. 6. cap. 4.* eas non esse: nihilominus tamen singulos globos, suos

Aura est corporeum quid.

Non potest penetrare dura.

Expansum & aura sunt separata.

lib. 2. & 3. ut & passim fatis: de aurâ verò æthereâ & cui bono per immensum spatium dispersa sit, nihil constat.

Si quis autem Vacuum pro omnino prorsus Nihilo in Aristotelis sententia sumtum (ita ut non sit ex duobus illis quæ sunt) intelligere vellet; diximus citato lib. 2. cap. 7. non verè ita posse intelligi, quia fieret tertium aliquid, quod tertium tamen non esse potest.

In Spatio sive Expanso, Mundi Conditor innumerabilia illa Mundana constituit corpora.